



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 4. Solvuntur opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

est privativa, ut quando duo contrahunt statuendo sibi pœnam, si deficiant à contractu, tunc enim eo ipso, quòd unus deficiat, alter acquirit jus ad rem illam pœnalem, & sic per sententiam privatam transfertur jus unius, quantumvis resistens, in alterum, & hoc quidem ante sententiam Judicis, nisi hæc sit expectanda juxta mentem contrahentium, ut Molina ait, quamquam alii cum Tamburino, & Sanchez valdè probabile censent, pœnas has non obligare ante sententiã Judicis, nisi id expressè contineatur in pacto. Cæterum si sententia sit publica, potest dupliciter considerari; nam altera dicitur de Jure gentium, quàm Princeps supremus fert contra aliam Supremum spoliando illum convictum dominio rerum jure belli; alia est, quam Princeps, vel Judex fert in subditos Jurisdictioni suæ; & hæc vocatur sententia forensis: de prima agit Amicus disp. 16. de secunda verò Molina disp. 96.

654. Certum est autem, quòd si lex simpliciter decernit privationem juris in pœnam v. g. alicujus delicti, & non dicat incurrendam esse ipso facto, tunc delinquens non spoliatur jure suo, ac proinde istud non acquiritur alteri v. g. fisco ante sententiam Judicis, quamvis fiscus per ipsam delicti patrationem ante Judicis sententiam aliquale ad rem illam jus comparaverit, ratione cujus potest facere aliquam conventionem cum delinquente circa illam pœnam, & aliquid exinde facere suum. Difficultas ergo est, quando lex statuit pœnam solvendi, V. G. 100. scuta, vel pœnam confiscationis bonorum, ut lata est contra incidentes in hæresim, ipso facto, id est, ipsa perpetratio delicti incurrendã; tunc enim ante sententiã Judicis delinquentè amittere jus, & dominium suorum bonorum, & teneri in conscientia illã tradere aut fisco, aut alteri, cui per ejusmodi legem adjudicatur, docent aliqui, & latè Castropalaus de justa hæreticorum punitione; nihilominus

655. Affero 3. cum Molina, & communi sententia, licet possit Legislator facere, quòd ante sententiam Judicis teneatur Reus bona sua conferre fisco, nullatenus tamen præsumitur, etsi regulariter in conscientia nõ teneretur solvere ante Judicis sententiam non solum declaratoriam delicti, sed etiam condemnatoriam, & executivam pœnæ. Probat: leges, quæ decernunt pœnam ipso facto incurrendam quàm optimè explicantur modò, quo sunt receptæ, & ex ipsa experientia nobis notæ; atqui non aliter sunt receptæ hujusmodi leges, neque per experientiam nobis notæ, nisi ut obligantes in conscientia post latam sententiam Judicis, ita ut non censeatur peccare contra justitiam Reus, si ante sententiam latam non abdicet dominium rerum suarum, easque fisco tradat; ergo &c. Confirmatur. Ad intelligendas leges, quæ præscribunt pœnam ipso facto incurrendam, satis est, quòd habeant aliquem effectum, quem non præstant le-

ges de sententia ferenda, & non lata; sed iste effectus notus nobis est per experientiam; ergo &c. Probat: Lex statuens pœnam ipso facto, facit, quòd sententia executiva, quæ postea fertur, retrahatur ad tempus perpetrati delicti, ita ut fiscus v. g. cui per sententiam adjudicatur illa pœna, possit reperere ea, quæ fuerint Rei, & rescindere contractus à Reo factos à puncto perpetrati delicti cum modo, forma, & limitationibus à lege præscriptis, de quibus latè Molina; sed istum effectum non præstat lex statuens pœnam ferendam; ergo &c.

## SECTIO IV.

*Solvuntur Opposita.*

656. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: promissio acceptata jam est pactum, saltem nudum: sed ex pacto oritur gravis obligatio; lex enim canonica obligat ad illud implendum, & quidem, aliquando sub excommunicatione, præsertim si sit sub forma stipulationis; ergo promissio illa obligat ex justitia. Confirmatur 1. Violare obligationem rei gravis, est mortale; ergo & violare promissionem rei gravis. Confirmatur 2. Quia ad id non obstat, quòd non obligetur quis ex justitia, quandoquidem ea promissio, si esset jurata, obligaret sub mortali, & tamen ratione juramenti, sicut & ratione voti nihil ampliùs haberet de ratione justitiæ; ergo &c. Resp. omit. maj. dist. min. ex pacto nudo pertinente ad justitiam, five commutativo, de quo tantum intelligitur illud de lege canonica excommunicante, conc. ex gratuito obligante tantum ex fidelitate, neg. min. & consequ. Ad primam Confirmationem dist. antec. si obligatio est gravis, conc. si levis, nego antec. & consequentiam; quia non solum de re levi, sed etiam de re gravi dantur obligationes leves, ut si aliquis vovens rem gravem veller se tantum sub veniali obligare; obligatio autem ex simplici fidelitate, sicut & obligatio ex veritate, ut supra dixi, ex genere suo est tantum levis, quamvis sit de re gravi.

657. Ad secund. Confirmationem dist. antec. non obstat, quòd non obligetur quis ex justitia, si obligatur ex alia virtute graviter, conc. si obligatur solum leviter, neg. antec. & consequentiam; nam in casu argumenti obligat religio, quam graviter offenderes non adimplens rem juratam: sic quamvis simplex assertio contra mentem sit ex genere suo malum leve, at assertio jurata contra mentem est quid grave ratione religionis graviter violatæ. Aalia argumenta, quæ assert. Lugo, eodem modo dissolvit, sicut nos hoc argumentum dissolvimus. Addit ibi etiam idem Lugo à sect. 7. de modis, quibus cessant, & omnino deobligant promissiones etiam acceptatæ, & de modis illas irritandi.

randi, seu annullandi, tam ex jure naturæ, quam positivo. Rursus num. 93. tradidit regulam generalem ad cognoscendum, quando censetur gratuitò promittens velle se obligare ex justitia, quando ex simplici fidelitate; docet etiam, plerumque esse ex simplici fidelitate, nisi promittens expressè dicat, se velle graviter, aut ex justitia obligari, quod rarò contingit inter ordinarias promissiones. Addit Molina q. 262. num. 12. saltem in foro externo censeri intentionem fuisse ex justitia, quando quis ex chirographo, vel scriptura publica voluit se obligare, idemque censet Meracius decisione 2. num. 2.

658. *Objicies 2. contra secundam assertionem.* Contractus in se validi, sed jure humano rescindibiles, ideo rescindi possunt, quia lex dat actionem contrahenti ad petendam rescissionem; atqui accedente juramento lex non dat talem actionem, imò vult juramentum servari; ergo ea pacta jurata rescindi non possunt; proindeque juramentò validantur, seu firmantur. Resp. dist. maj. quia dat actionem pertinentem ad justitiam, conc. ad religionem, nego maj. & dist. minorem, non dat actionem pertinentem ad justitiam, nego, ad religionem, conc. minorem, & nego consequens ratio est, quia in eo casu, quamvis contractus non sint rescindendi, ne promittens peccet contra religionem, à qua graviter obligatur; at non proinde manet obligatus ex justitia: unde firmitas talis contractus non pertinet ad justitiam, sed ad religionem.

659. *Objicies 3. Lex loquens de contractibus meru celebratis, v. g. de promissione jurata facta latroni, dicit juramenta debere servari, saltem per solutionem momentaneam (talibus vocatur, quia facta ea solutione statim potest repeti) rursus loquens de aliis spontaneè factis, v. g. de alienatione fundi dotalis, absolutè dicit, juramenta debere omnino servari; ergo in his spontaneis supponit lex juramentum accedens conferre validitatem, & fundare jus proprietatis.* Resp. conc. ant. & nego consequentiam; nam intra limites solius obligationis ex religione stat rectè discrimen illud intentum à lege; quoniam merus ille injustè incussus dat causam, ut statim fiat per momentaneam solutionem, & ut facile possit juramentum relaxari à Superiore; quando verò juramentum est spontaneum, etiamsi superveniat contractui, vel rescindibili, vel nulli, non adest talis causa: quare ut relaxetur ea obligatio, alia causa justa quærenda est, & dum hæc inventa non fuerit, ne relaxetur juramentum, debet servari res promissa, si sine peccato fieri potest.

660. *Objicies 4. contra tertiam assertionem: qui delinquit contra legem statuentem penam ipso facto incurrendam, spoliatur jam jure, & dominio rerum à puncto perpetrati delicti, siquidem jam fiscus acquirit aliquod jus, ipsaque Reo impediuntur multi usus rerum suarum.*

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

rum; non enim potest dilapidare illas in foro fisci, jam expectantis sententiam; ergo ipso facto manent sub dominio, & jure proprietatis fisci. Aliqui concedunt consequentiam, quam plùs habere de nomine, quàm de re censent aliqui cum Raynaldo. Resp. tamen cum Molina: nego absolutè consequentiam; nam quamvis fiscus vi legis patratò delictò comparat jus in re in delinquentis bonis, & hæc ipso jure manent obligata fisco, quoad aliquos effectus, nimirum, ut alienationes deinceps factæ per delinquentem sint invalidæ; hoc tamen non procedit absolutè, sed conditionarè; si nempe postea feratur sententia pro fisco, quod jus conditionatum fisci non tollit jus, & dominium à delincente ante sententiam Judicis, qua non secuta, validæ semper manent dispositiones suarum rerum, quas fecerat delinquens post perpetratum delictum: unde illud jus fisci non vocatur absolutè jus in re, sed sub conditione, quòd sententiam obtineat.

661. Plures quæstiones moveri possunt circa ejusmodi leges, sive circa ejusmodi sententiam Judicis, quæ dici solet lex forensis adjudicans alicui dominium rei; præcipua tamen controversia, & frequens in praxi est, an, quando ex falsa præsumptione procedit Judex juxta allegata, & probata, revera illud transferat, ita ut quamvis Petrus certò sciens sententiam ex falsa præsumptione processisse, sed revera nullum habere titulum præter dictam sententiam ad possidendam rem sibi adjudicatam, possit hanc sibi retinere tutà conscientia. Censeo cum Cardinali de Lugo disp. 7. sect. 1. Petrum non posse retinere, imò teneri ad restitutionem: ratio est, quia hujusmodi sententiæ non conferunt jus, sed declarant; unde si aliunde jus non habeatur, Petrus certò sciens absque ullo jure retinebit res illas, proindeque injustè ex mala fide: ex quo unico principio plures aliæ controversiæ decideri possunt.

## SECTIO V.

### De Titulo Usucapionis, vel Præscriptionis.

662. **H**æc duo pro eodem solent interdum sumi, quamvis in rigore præscriptio dicitur de re immobili, qualis est domus, prædium &c. Usucapio verò de mobili, qualis est pecunia, triticum, equus &c. Definiri solet ita, acquisitio dominii rei alienæ per continuatam possessionem bonæ fidei spatiò temporis, à lege definito. Est ergo usucapio, seu præscriptio titulus acquirendi dominii in re alterius; hic autem titulus dicitur translativus non voluntaria, quia fit priore Domino aut non sciente, aut non satis resistente, ac proinde non cum positiva voluntarietate. De hoc latè